



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punct. Difficultatis 1. Deducitur né id bene, suppositâ infinitate peccati, &
quomodo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

ante satisfactiones, non aliâ mensura, quàm dignitate satisfaciendis. Et certè, ea quæ à se infinite recedunt, impossibile est inter se æquari, & invicem commensurari: cum ergo quæcunque actio creaturæ, & Deus, infinite à se recedant & distent, impossibile erit ista coæquari. Illustratur hoc tali imaginatione. Pone duas hydrias à cylindro pendentes, ita dispositas, ut si volvatur cylindrus, una hydria descendat, alia ascendat, certe tales hydrias æquare est impossibile, cum per diversas lationes ferantur, & descensum cum ascensu æquare sit impossibile. Pone ergo casum, quod una hydria infinite ascendat, necessitati alia infinite descendat, & quantus esset excessus altitudinis unius, tantus esset descensus profunditatis alius; quare, si hydria inferior deberet æquari superiori, deberet hoc totum spatium, quod inter illam ut ascendentem, & hanc ut descendentem intercedit, superare, hoc autem est impossibile propter lationes quibus feruntur. Cum ergo satisfactio creaturæ, & offensâ Dei, ex oppositis planè rationibus desumantur, hæc nimirum ex dignitate Dei offensi, in infinitum ascendente supra satisfaciendam, sive supponatur infinitus, sive supponatur finitus; & illa ex indignitate inæqualitatis; satisfactionis, infra offensum veluti descendente; ita ut illa semper ascendat, hæc semper descendat; hinc impossibile erit, invicem, dicta æquari & commensurari, cum per rationes oppositas procedant, & quânto dignitas Dei attollitur, tantò deprimitur indignitas creaturæ. Vide hanc ipsam rationem, paulò aliter propositam, apud Amicum disp. 5. Sect. 3. à num. 120. Proponetur hoc Fundamentum aliquot viis, Quod ut fiat infra, *Sic*

Punctum Difficultatis 1.

Deduciturne id bene, suppositâ Infinitate Peccati, & quomodo?

Titulo fiet satis, explicando ipsammet propositam difficultatem, camq; in argumentum redigendo.

EXPLICATUR 1. intentum. Condigna satisfactio, est satisfactio ad æqualitatem, id enim venit hic nomine condignitatis; si autem condigna satisfactio, est satisfactio ad æqualitatem. Tantum satisfactionis, debet respondere Tanto offensæ; quia æqualitas stat, in tanto & tanto respondentibus. Porro ad hoc, ut examine- tur, an tantum sit in uno, quantum in alio, sicut in materialibus & physicis, numerus unius cum numero alius, pondus unius cum pondere alius, natura unius cum natura alius parallelè collo- cantur, ita ut ex opposito unum, contra aliud statuatur; sic & in moralibus valor unius, cum valore alius, radix tantæ æstimationis moralis, cum radice tantæ æstimationis moralis, confer-

ri debent: & si non plùs sit in uno quàm in alio, tum primùm dicentur æqualia esse moraliter; sic igitur & in præsentì, ut æstimetur quòd sint æqualia satisfactio & offensâ, debent per paral- lelicam oppositionem comparari. Et sic, est in satisfactione puræ creaturæ, actus creaturæ, est etiam in peccato actio creaturæ, & in hoc jam sunt æquales: in satisfactione est tanta adver- tentia ad Deum placandum, in peccato tanta advertentia ad Deum offendendum, & in hoc potest esse æqualitas: imò potest dari, ut ad- vertentia satisfactionis superet advertentiam offensæ & è converso: insuper hic est satisfactio (supponamus) infinita, illic sit infinita offensâ; sed adhuc est inæqualitas in ratione infinitandi, quia ratio infinitandi in satisfactione, desumitur à persona creata, licet infinita, vel ab additione infinitæ gratiæ, vel à concursu Dei extraordi- nario, supplente vices infinitæ gratiæ; jam au- tem infinitas peccati, desumitur à re increata, hoc est excellentia summi boni, qua in ratione, jam sunt inæquales, & æquari nunquam pos- sunt, creatum enim cum increato, dependens cum independenti, à se, cum ab alio, æquabilia & commensurabilia non sunt. Illustratur hoc totum tali instantiâ. Imaginare bilancem, in cujus una parte ponatur infinitum aureorum, ut altera bilanx sit illi & physicè & moraliter æqualis, est necesse ponere non numerum fini- tum, quia finiti ad infinitum non est paritas, sed erit necesse ponere infinitum. Si tamen ponas infinitum æris, erit quidem, & hoc infinitum, & illud infinitum; nec physicè tamen nec mo- raliter erunt paria illa infinita; nam physicè mi- nor est excellentia æris præ auro, moraliter et- iam, infinitum æris, non æstimatur tantum, quan- tum infinitum aureorum: ut ergo alteram par- tem bilancis æques, debes ponere infinitum au- reorum. Sic etiam si ponas in bilance offensam infinitam, ex altera parte satisfactionem finitam, non æquabuntur: ponas item satisfactionem infinitam, sed creatam, necdum erit æqualitas, quia in ipsis radicibus infinitandi, paritas non est; hinc ut æquentur, etiam satisfactionem creatam, idem principium, nempe increatum, dignificare deberet.

Hinc formatur Argumentum. Tunc est condi- gna satisfactio, quando est æqualis; talis non potest poni à creatura: quia tunc ponitur satis- factio æqualis, quando in illa, prædicata oppo- nibilia prædicatis peccati, habent æqualitatem; hæc non potest haberi: quod probatur. Quia non potest haberi par radix infinitandi utrum- que, nam radix infinitandi satisfactionem crea- tam, esset creatum quid, & tamen offensâ infi- nitatur ab increato.

EXPLICATUR 2. Satisfactio est quid relati- vum, semper enim est ad aliud, hoc est ad offen- sam; porro satisfactio non tantum est relativum, ut satisfaciens illam ponat, sed etiam ut offenso illa

illâ satisfiat: sicut relativum quod est Pater, non est, nisi Pater generet, & filius generetur. Si satisfactio est tale relativum ad duo, & quidem semper requisita ad sui completionem; debent ista duo habere rationem communem fundandi, nam hoc est in omnibus relativis talibus; & ita generatio, est ratio fundandi relationem in Patre & filio, convenientia item in albedine, facit in duobus albis similitudinem; hæc autem ratio communis satisfactionis est, ponere tantum in satisfactione, quantum meretur offensa. Quia verò satisfactio, in quantum se tenet ex parte offensi, principaliter importat actum internum offensam remittentis: & ita si regi impingas colaphum, & des illi millionem, quem ille non acceptet, & in æstimatione morali non deberet acceptare, non dicit Rex sibi satisfactum esse; sic etiam ut Deo dicatur satisfieri, debet Deus elicere actum internum, quo sibi dicat satisfactum esse. Cum autem posito quocunque opere etiam infinite digno, exhibito tamen à pura creatura, non possit dicere Deus, satisfactum mihi est; hoc ipso non erit adhuc condigna satisfactio. Porro quod id non possit Deus dicere, exinde est; quia hic actus; Satisfactum mihi est, requirit in Deo actum intellectus, quo judicet Deus, tantum esse in satisfactione dignitatis, quantum fuit gravitatis in offensa; & simul ex parte voluntatis, requirit actum, ut sibi tantum complaceat in satisfactione, quantum sibi displicebat in offensa: sicut etiam in creatis hæc duo requiruntur; sed posita satisfactione à pura creatura, neutrum illorum actuum potest habere Deus. Et quidem quod attinet ad actum intellectus. Ratio est: quia non tantum assensus creatus, non potest procedere sine motivo, sed etiam assensus increatus: nam non cæcè agere, stat in agere non sine motivo debita rationis, quia ergo multo magis Deus non agit cæcè, magis debet agere ex motivo prælucentis rationis; hinc si pro una parte majus motivum incomparabiliter habeat Deus, quam pro alia parte: pro majori, decernet intellectus divinus; proposita autem ex una parte gravitate offensa, ex altera parte proposita etiam infinita satisfactione, posita à pura creatura, habebit semper Deus motivum, inæquabilia hæc, & incommensurabilia esse; eò quod radix infinitandi commensurabilis non sit. Quod attinet ad actum voluntatis, non potest etiam Deus unquam tantum sibi complacere in satisfactione, etiam infinita, puræ creaturæ, quantum sibi displicuit in offensa; quia tota ratio complacendi in infinita satisfactione à pura creatura, esset adhuc aliquid creatum: ratio autem displicendi in offensa est aliquid increatum; hinc fit, ut voluntas Dei non possit sibi tantum complacere in satisfactione dicta, quantum displicuit in offensa; si non potest tantum placere, non potest dicere; Sa-

tisfactum est mihi: Si non potest dicere: Satisfactum est mihi, nec erit satisfactio.

Totus hic discursus in argumentum redigitur. Non potest fieri satis à pura creatura etiâ satisfactione infinita, nisi necesse sit dicere Deum, Satisfactum mihi est; hoc autem nunquam est necesse dicere Deum, posita etiam infinita satisfactione, sed præstita à pura creatura: quod probatur: quia intellectus divinus & voluntas, nunquam possunt habere tantum motivum ad complacendum in satisfactione illa, quantum habetur in displicendo sibi in offensa.

EXPLICATUR 3. Non tantum dantur personæ physicae, sed etiam morales, & hoc ostendit inductio. Nam præter personam quæ est homo, datur Persona quæ est rex, tutor, &c. Et ratio est: quia hæc quæ sunt moralia, infundantur proportioni (si ea ad mores sit necessaria) naturalium; quod ipsum probatur; quia cum ea quæ sunt moralia, sint ex judicio prudentum, & possit judicium prudens proportionem physicam advertere etiam in persona, ut eam traducat ad moralia, hinc dari poterunt etiam personæ morales. Dixi moralia infundari proportioni naturalium, si ea proportio sit ad mores necessaria; quia multa dantur naturalia, ad mores non translata. Posito autem quod sint etiam personæ morales, debent etiam esse & dignificativa actionum moralia. Ratio: quia in physicis dantur dignificativa physica: Ergo & in moralibus, debent dari dignificativa moralia; quod utrumque in hoc fundatur, quia dantur actiones dignæ moraliter, ut ostendit inductio; & quia dignitas rei, est innexa ipsi rei, quæ dicitur digna, aliàs esset digna sine dignitate: Ergo debet habere principium formaliter dignificativum; ne detur principium sine principio. Porro si dantur dignificativa moralia, si dignificativum morale non erit infinitum, aut æquale alteri infinitudini, nec actio erit moraliter infinita aut æqualis alteri infinitudini; quia esset sine principio dignificante dignificatum, quod implicat; daretque aliquid id, quod non habet, quæ omnia absurda. Quia autem dignificativum satisfactionis ponibilis à creatura, comparatè per ordinem ad offensam infinitam, non est infinitum, & si esset, non esset æquale, ideo nec satisfactio æqualis erit. Duplex verò est satisfactio: una quæ est actio satisfaci-entis, est quæ satisfactio activa; alia satisfactio passiva, quæ erit actus ponibilis ab offenso dicente: satisfactum mihi est. Circa offensam quoque discurrendo, illa etiam activè spectata, est actio offensiva, passivè autem spectata, est ipsa indignatio divina, contra illam actionem, sui honoris læsivam, & juris ad illum retinendum. Et de offensa quidem loquendo, si offensa priori modo sumatur, indiget satisfactio activa infinita; quia offensa activa, & sa-

tis-

isatisfactio activa, debent esse duæ rationes, quarum una habeat rationem victæ, & alia rationem victicis, una habeat rationem facientis, ut alius nec moraliter perseveret, & alia rationem sic exclusi; hoc autem fieri non potest, si positâ offensâ activa, non sit satisfactio infinita, idque, vel æquali vel minori infinitudine; infinitudo enim illa, vel majoritas infinitudinis, erit assertiva suæ permanentiæ moralis, adeoque non abolēbitur offensâ, cum id, quod majus est, magis sit assertivum suæ permanentiæ; ut natura magis assertit sibi calidum ut septem, quàm calidum ut duo. Si autem spectetur offensâ passiva, illa est actus ipse liber Dei, qui ut intelligatur abesse, debet respondere & substitui ut ita dicam, satisfactio passiva; quæ non poterit sub-stitui, nisi detur exclusivum prioris illius actûs, idq; exclusivum sufficienter; quod exclusivum haberi non potest, nisi ponatur satisfactio infinita, idq; infinitudine æquali; quia si hoc non requireretur, & non esset æquale illud exclusivum, quia esset infinitudini divinæ inæquale; & esset æquale, quia hoc faceret quod exclusivum æquale.

Formatur ex hoc toto Argumentum. Satisfactio pro mortali, debet esse satisfactio dignificata à persona moraliter infinite digna, quia aliàs illa satisfactio, non excluderet vi suâ permanentiam moralem offensâ divinæ, sed non potest à pura creatura dari satisfactio, excludens permanentiam moralem offensâ, quia hoc ipso & esset æqualis, & non esset æqualis offensâ, ut dictum: Ergo satisfactio à pura creatura pro mortali dari non potest.

Punctum Difficultatis 2.

Rationes in Oppositum.

Obicitur 1. Etiam in satisfactione, reperitur excellentia increata, cui satisfit, sicut eadem in peccato reperitur, attollens magnitudinem culpæ: Ergo non minus habebit creaturæ satisfactio, quàm offensâ.

Respondetur. Utroq; quidem reperitur excellentia infinita, sed ita, ut diversimodè se habeat: nam in satisfactione ponitur, tantumquam diminuens illius excellentiam, in peccato autem, ut augens gravitatem. Et sicut plumbum positum in una parte bilancis, faciens unâ partem bilancis attolli & aliam deprimi, non est ratio æquandi utramq; partem; ita nec in præfenti, excellentia Dei, erit ratio talia æquandi.

Obicitur 2. Habere tantum de vi satisfaciendi, quantum habet offensâ gravitatis, spectat nonnisi ad recompensationem justitiam, nec est necesse, ut satisfactio tantum habeat quoad entitatem, sed sufficit, ut habeat tantum in genere moris: Ergo hæc satisfactio poni potest à creatura pura.

Respondetur. Tantitas satisfactionis, si sit ex debito rigorofo, ad justitiam rigorosam spectat, nec debet haberi in satisfactione pro mortali. Tantitas tamen satisfactionis, dicens simpliciter commensurationem ad id, cui, secundum merita objecti, impendenda est Nego, quòd spectet ad justitiam rigorosam. Et ita, si præcipiat Sacerdos; dic pro pœnitentia *Pater noster*; si non dicas, non peccabis quidem contra justitiam, sed non facies satis pro pœnitentia; sic & in præfenti. Quòd autem dicit obiciens, sufficeret ut satisfactio sit moraliter æqualis offensâ, id verum est; sed negatur posse id haberi, si satisfacit pura nonnisi creatura.

Obicitur 3. Cum Vasquez disp. 2. hic. Satisfactio pro injuria propria illata hominibus, quantumvis excellentibus, semper habet rationem restitutionis; contingit tamen inter homines, aliquando unum ita peccare, ut non irroget injuriam propriè, sed nonnisi comuni quodam genere injuriæ, nempe non servando præceptum ejus, & hoc genus non infert damnum ullum, licet, si expressè contemnuntur leges, possit aliquo modo lædi honor Principis; cæterum injuria facta Deo à nobis, non est injuria contra ipsum, cum nullo genere peccati, illum in bonis suis lædere possimus. Jam ergo urget Vasquez, gravitatem offensæ, non crescere ex dignitate ejus, in quem peccatur, si illa offensâ habeat solum communem rationem injuriæ; nam etiam in offensâ speciali, quæ committitur per furtum, non crescit ratio offensæ ex persona cui fit: perinde enim est, furari centum Regi, atq; alteri.

Respondetur. Satisfactionem pro injuria, habere quidem semper rationem restitutionis; quia est semper satisfactio debito alicui; sed non habet semper, etiam in creatis, rationem restitutionis rigorosæ, quia non omnis offensâ est injuria rigorosa, de quo etiam actum in materia de pœnitentia; distinguuntur autem injuria & offensâ, imprimis separabilitate, quia potest aliquis offendi & non injuriari, quia non minorabitur in bonis; distinguuntur item, quia aliud est specificativum & mensurativum injuriæ, aliud specificativum & mensurativum offensæ, injuria enim respicit & formalisatur in æqualitate, ad jus versans circa res, offensâ autem specificatur eo, quòd sit contra dignitatem alicujus, displicentis sibi in hoc, & habentis titulum displicendi, idq; intuitu oppositionis suæ dignitati; denique injuria semper attendit, vel potius recedit à medio rei, offensâ autem contraponit se medio rationis; quâ distinctione injuriæ & offensæ positâ, indubiè poterit esse satisfactio pro offensâ, quæ tamen non habeat conditionem restitutionis rigorosæ. *His positis*

Directè ad argumentum dicitur. Concedo, quòd injuria propria non crescat dignitate personæ,